

## 60A. Siege of a Roman Camp, page 1 (SB page 85)

Line numbers are keyed to the vocabulary lists in the Student's Book.

- 1 Septimō oppugnātiōnis diē,  
maximō coortō ventō,  
ferventēs fusilī ex argillā glandēs fundīs
- 2 et fervefacta iacula  
in casās,  
quae in mōre Gallicō strāmentīs erant tēctae,
- 3 iacere coepērunt.

Hae celeriter ignem comprehendērunt

- 4 et ventī magnitudīne in omnem locum castrōrum distulērunt.

Hostēs maximō clāmōre,

- 5 sicutī partā iam atque explorātā victōriā,  
turrēs testūdīnēsque agere et scālīs vāllum ascendere coepērunt.

## 60A, pages 2–3 (SB pages 87–89)

- 6 At tanta mīlitum virtūs atque ea praesentia animī fuit  
ut,  
cum undique torrērentur  
7 maximāque tēlōrum multītūdine premerentur  
8 suaque omnia impedīmenta atque fortūnās cōnflāgrāre intellexerent,  
nōn modo  
dēmigrandī causā  
dē vāllō dēcēderet nēmō,  
9 sed paene nē respiceret quidem quisquam,  
ac tum omnēs ācerrimē fortissimēque pugnārent.
- 10 Hic diēs nostrīs longē gravissimus fuit;  
sed tamen hunc habuit ēventum,  
ut eō diē maximus numerus hostium vulnerārētur atque interficerētur.
- 12 Paulum quidem intermissā flammā  
et quōdam locō turrī adāctā et contingente vāllum,  
13 tertiae cohortis centuriōnēs  
ex eō, quō stābant, locō  
recessērunt suōsque omnēs remōvērunt,  
14 nūtū vōcibusque hostēs,  
sī introīre vellent,  
vocāre coepērunt;  
15 quōrum prōgredi ausus est nēmō.

Tum

ex omnī parte lapidibus coniectīs,  
dēturbātī  
turrisque succēnsa est.

## 60B. Rivalry Between Two Roman Centurions, page 1 (SB page 91)

- 1 Erant in eā legiōne fortissimī virī, centuriōnēs,  
quī prīmīs ordinibus appropinquārent,
- 2 Titus Pullō et Lūcius Vōrenus.

Hī perpetuās inter sē contrōversiās habēbant,

- 3 quīnam anteferrētur,  
omnibusque annīs dē locō summīs simultātibus contendēbant.

Ex hīs Pullō,

- 4 cum ācerrimē ad mūnitiōnēs pugnārētur,  
“Quid dubitās,” inquit, “Vōrene?
- 5 Aut quem locum tuae probandae virtūtis exspectās?  
Hic diēs dē nostrīs contrōversiīs iūdicābit.”

- 6 Haec cum dīxisset,  
prōcēdit extrā mūnitiōnēs,
- 7 quaeque pars hostium cōfertissima est vīsa,  
irrupit.

Nē Vōrenus quidem sēsē tum vāllō continet,

- 8 sed  
omnium veritus exīstimātiōnem  
subsequitur.

**60B, page 2 (SB page 93)**

- 9 Mediocrī spatiō relictō,  
Pullō pīlum in hostēs immittit
- 10 atque ūnum ex multitudīne prōcurrentem trāicit;  
quō percussō et exanimātō  
hunc scūtīs prōtegunt,
- 11 in hostem tēla ūniversī coniciunt,  
neque dant regrediendī facultātem.
- 12 Trānsfigitur scūtum Pullōnī et verūtum in balteō dēfigitur.
- Āvertit hic cāsus vāgīnam
- 13 et gladium ēdūcere cōnantī dextram morātur manum,  
impeditumque hostēs circumsistunt.

**60B, page 3 (SB page 95)**

14 Succurrit inimicus illi Vorenus et laboranti subvenit.

Ad hunc se confestim a Pullone omnis multitudō convertit:

15 illum verūtō transfixum arbitrantur.

16 Gladiō cominus rem gerit Vorenus

atque

ūnō interfectō

reliquōs paulum propellit:

dum cupidius instat,

17 in locum deiectus inferiorem

concidit.

Huic rursus circumventō subsidium fert Pullō,

18 atque ambō incolumēs

complūribus interfectīs

summā cum laude sēsē intrā mūnitiōnēs recipiunt.

19 Sīc fortūna in contentiōne et certāmine utrumque versāvit,

20 ut alter alterī inimicus auxiliō salutīque esset

neque dīiudicārī posset,

uter utrī virtūte anteferendus vidērētur.